THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT

Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=922
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ritualibus conferebat. Nouissime uero opportunum sibimet uisus est exitum repperisse: scio inquit huiusmodi signa non ad sanctitatem unius, sed ad multorum spectare salutem. nec deum in homine per quem talia operatur: perfectionem considerare sed opinionem, ut in eo commendet hominibus que illi credendam inesse uirtutem. Neque enim propter eos fiunt hec per quos fiunt, sed propter eos magis qui uident illa uel sciunt. Nec eo fine per eos ista deus operatur: ut ipsos probet ceteris sanctiores, sed ut ceteros magis amatores et emulatores faciat sanctitatis. Nichil ergo mihi et signis istis quandoquidem mea illa fame magis quam uite nouitium exhiberi. nec ad meam fieri commendationem, sed ad commonitionem potius aliorum. Satis nimirum hic uiri mirabilem animum, quisquis hec diligenti consideratione pensauerit. nec prestantius reputabit estimator: quisque fidelis signa atque prodigia mirabiliter operari. quam peccata taliter interpretari. Sibi quoque non minus utile iudicabit imitandos eius affectus quam mirandos actus, et morum insignia quam operum signa cognoscere. Sed ad hec quis idoneus?

In huius siquidem pectore uiri dispari federe puritas suauitasque consederant satis quidem utraque mirabilis, sed mirabilior utriusque complexus. Hinc nimirum tam singulariter in unum hominem totius orbis uota pariter concurrebant. quod puritatem suauitas amabilem faceret. suauitatem puritas acceptabilem, ut difficile fuerit estimare gratie ne an reuerentie amplius obtineret. Erat enim tam rigide conuersationis quis clareuallensem non reuereretur abbatem? Quis tam dissolutus, qui non erga eundem dulciter afficeretur? Dulcissimus enim affectibus plenum pectus ipse gerebat, sed quam liberos quotiens causa poscebat cohercebat. humanissimus in affectione. magis tamen fortis in fide. Et